

**Dissertatio medica inauguralis, de lactis secretione in puerperis ... /  
eruditorum examini submittit Joannes Aikin.**

**Contributors**

Aikin, John, 1747-1822.  
Pennant, Thomas, 1726-1798  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Lugduni Batavorum : Apud Abrahamum et Janum Honkoop, 1784.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/hjhmqtmd>

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

P.C. 10  
from the Author

**DISSERTATIO MEDICA**

*IN AUGURAZIONE, tracto B.*

D E

**LACTIS SECRETIONE 282. ①**  
**IN PUEPERIS,**

*QUAM,*

**FAVENTE SUMMO NUMINE,**

*EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI*

**C A R O L I B O E R S,**

*S. S. THEOLOGIÆ DOCT. ET PROFESSOR. ORDINARII, COL-  
LEGII THEOLOGICI PRÆPOTENTIUM ET ILLUST. OR-  
DINUM HOLLAND. AC WESTFRISIÆ REGENTIS;*

*NEC NON*

*Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,  
& Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto,*

**PRO GRADU DOCTORATUS,**

*Summisque in MEDICINA Honoribus, ac Privilegiis rite,  
& legitime consequendis,*

*ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT*

**J O A N N E S A I K I N**


*A N G L U S.*

*S O C. R E G. M E D. E D I N B.*

*S O C. P H Y S. L I T E R. M A N C U N.*

*S O C I U S H O N O R A R I U S.*

*AD DIEM XIX. JULII MDCCCLXXXIV. H. L. Q. S.*



---

*LUGDUNI BATAVORUM,  
APUD ABRAHAMUM ET JANUM HONKOOP,*

*M D C C L X X X I V.*

жестокий отец и жестокий

сын, а я — я не могу

быть на земле, я не могу

**N O B I L I S S I M Æ**

**FACULTATI MEDICÆ,**


**ACADEMIÆ LUGDUNO - BATAVÆ,**

**H A N C D I S S E R T A T I O N E M ,**

**E A Q U A P A R E S T O B S E R V A N T I A ,**


**S A C R A M V O L U I T**

**A U C T O R.**

A faint, large watermark of a classical building with four columns and a triangular pediment occupies the center of the page.

Digitized by the Internet Archive  
in 2016

<https://archive.org/details/b22462995>



DISSERTATIO MEDICA  
IN AUGURIA LACTIS,

D E



LACTIS SECRETIONE  
IN PUEPERIS.

Legibus Academiæ hujus celeberrimæ satisfactu-  
ro, prima mihi cura fuit, ut materiem ad dis-  
serendum eligerem', de qua, propriâ edoctus  
experienciâ, aliquid certi compertique profer-  
rem, nec totus in dubiis scholarum sententiis atque am-

A

ba-

2 D I S S E R T A T I O M E D I C A

bagibus hærerem. Quare, cùm pluribus annis auxilium puerperis ferendo haud mediocriter exercerer, rem huc pertinenteū tractandam judicavi; sperans fore, ut si, ob intermissa studia Academica, minus doctè & ornatè disputationem scriberem, hunc tamen defectum quodam modo pensarem, fideliter narrando, quæ, naturæ operationibus diligentius lustratis, cognita ac perspecta haberem.

De secretione lactis in puerperis, igitur, re in œconomia animali admirandâ gravique, dicere mihi proposui; in tres autem partes sermonem dividere commodissimum visum est: 1. De iis quæ ad lactis secretionem præparant; 2. De secretione ipsâ; 3. De morbis eam comitantibus & sequentibus.



S E C T I O P R I M A.

**U**t rectè sentiamus de lactis secretione, variisque ejus conditionibus, necesse est, corporis statum tempore,

quo

## I N A U G U R A L I S . ,

quo incipit hæc secretio, prius contemplari; sed neque perfectè hoc fieri potest, nisi respiciamus ad prima gravitatis tempora, cum factum est initium singularum mutationum postea contingentium.

Inter prima conceptū signa mensium esse suppressiōnem, nemo ignorat. Fluxus hicce periodicus, sive a plethorā locali, sive ab universali, ortum dicit, certè, cum jam corpus fœmininum ei assuecat, id a redundantia sanguinis liberat. Ejus suppressio, igitur, in corpore cæterum sano, variis plethorici statūs indicis significatur. In fœminā prægnante, tamen, hæc symptomata levantur, cibi inappetentiā, læsāque concoctione, quæ primos gravitatis menses præcipue infestant. Mox, vero, causa plethoræ ipsa præciditur, tantā sanguinis copiā in fœtu nutriendo consumptā, quanta solitis menstruarum viis foras expulsa fuisset.

Procedente graviditate, sanguinis consumptio augetur, donec tandem haud parum excedit abundantiam illam, quam, alio tempore, fluxus menstruus aufert. Nunc, igitur, in alteram partem constitutionis libramen vergit; locoque

4 D I S S E R T A T I O M E D I C A

symptomatum plenioram indicantium, pallor, macies, ac debilitas, in ultimis graviditatis temporibus, vasorum inanitionem clarè significant.

Hæc insignior foret, nisi defectum natura aliquatenus supplevisset, cibi desiderio viribusque pepticis nunc renovatis.

Partûs tempore, infantis pondus, cum placentâ, membranis, & liquore amnii, pondus totius sanguinis menstrui retenti tantopere superat, ut dubitari nequeat, corpus maternum, ex quo hæc omnia formata sunt, multam substantiæ suæ jacturam fecisse. Quamvis, enim, non semper accidat, ut exinanitio humorum infolita corpus attenuet (nam mulieres pinguiores validioresque dum lactant fieri fæpe vidimus); gravidæ, tamen, tot molestiis incommodisque urgentur, viscerum functiones in eis ita impediuntur, sistema nervosum ita infirmatur, totaque corporis compages ita perturbatur, ut valde sit improbabile, dispendium in hoc statu accessione per nutrimentum plerumque compensari posse. Et reverâ, ut jam observatum est, maciei signa manifesta in gravidis ferè deprehenduntur.

Non:

Non est, autem, varietas in sola quantitate humorum, quæ præcipuam facit mutationem in corporibus prægnantium; eorum distributio quoque insigniter mutatur.

Uteri tumor, qui pari passu fœtūs incrementum comitantur, haudquaquam simplex est extensio partis membranosæ & dilatabilis, qualis est stomachi vesicæve distenti; crassitie enim servat dum circulo augetur; ideoque, exacto graviditatis periodo, multoties majoris est molis quam fuerat ante conceptum. Hæc autem amplificatio mira, fere tota adscribenda est vasorum ejus sanguiferorum dilatationi per auctam humoris copiam eis ingestam (\*); quod fatis evincit uteri post partum subitus ad priorem mensuram redditus; hoc enim fieri non posset, si partium solidarum esset accessio. Uterus, ergo, sit per tempus receptaculum sanguinis, vel medium, cuius ope fœtus nutrimentum accipit, interventu placentæ, quæ, spongiæ instar, sanguinem de vasis uterinis imbibit. Hoc artificio, præter humorem materno cor-

po-

(\*) Pars magna crassitiei ad venas pertinet, quæ nunc ad summam amplitudinem dilatatae sint, & sanguine plenissimæ. HALLERI  
Elem. Phys.

## 6 D I S S E R T A T I O M E D I C A

pori ereptum, fetuque alendo impensum, ejus vis hanc parva a circulatione quodammodo detinetur, & in vasis inusitatè dilatatis accumulatur. Hujus effectus, aneurismatis majoris actioni, sanguinem a solitis canalibus divertentis, vasaque reliqua justâ suâ portione fraudantis, conferri potest. Nec solum uteri ipsius vasa ita sunt dilatata: arte. riæ, quoque, ramos in uterum ejusque appendices propagantes eandem participabunt affectionem. Sic, per graviditatis cursum, uteri partiumque circumiacentium localis est plethora, quâ, systematis vasorum universi inanitio adhuc augetur.

Porro, uterus distentus venam cavam iliacasque compri-  
mens, moram faciet sanguini ab artibus inferioribus regre-  
dienti. Existimari, equidem, possit, hanc adæquatam fore  
simili arteriarum congruentium compressione: atqui tunica-  
rum arterialium robur & elasticitas efficiunt, ne circulatio  
in his vasis tantum a compressione impediatur, quantum  
in venis, quarum tunicæ multo sunt moliores; reverâque  
comperimus, crurum venas in gravidis sæpe congesto san-  
guine valde distendi. Hinc, corporis tota pars inferior

fan-

sanguinis portione nimiâ, ratione ad superiorem habitâ, implebitur; atque ita humorum distributio æquabilis alio modo turbabitur.

His omnibus perpensis, sistema sanguiferum ad finem graviditatis sic sese habere judicandum videtur. Sanguinis universi quantitas imminuitur: vasa uterina magnopere dilatantur & ampliantur, vimque sanguinis solitò longè maiorem cavis suis detinent; trunci quoque arteriosi, a quibus rami propagantur in uterus partesque vicinas, distenduntur; & consuetudo nata est copiam sanguinis insitamat per eos canales transmittendi: artuum inferiorum venæ supra modum implentur: cor ipsum, partesque corporis superiores omnes, æqualiter inaniuntur.

Ulteriores mutationes, a partu ipso oriundæ, deinceps contemplandæ.

Fetu expulso, uteri continuata contractio placentam separat. Sanguinis fluxus, plerumque copiosus, sequitur. Hic, paulatim imminutus, aliquando recrudescens, demumque fluxu tantum sero desinens, lochia constituit. Adhuc contrahi pergit uterus, paucorumque spatio dierum

ad

ad modum ferè pristinum redigitur. Hoc progressu, tan-  
tum sanguinis, ad minimum, evacuari, quantum in vasis ute-  
ri dilatatis continebatur, vix dubitari potest. In profluviis  
morbosis quantitas certè major detrahitur: pone, autem,  
æqualem: vel sic, quoque, reliqui corporis vasa nullo mo-  
do expletiora fient, vasis uterinis contractis; quoniam san-  
guis eorum superfluus in massam generalem non regeritur,  
sed penitus e corpore effugit. Plethora igitur localis aboli-  
tur, haud tamen ab universalis succeditur. Verum est, qui-  
dem, compressione per uterus sublatâ, venas artuum in-  
feriorum nunc sibi sufficere ad se liberandum congesto san-  
guine; quod adjuvat quoque situs decumbentis: quare,  
hac de causa, corporis superioris vasa aliquatenus imple-  
buntur. Hoc, autem, sanguinis distributionem universè  
æquabiliorum tantum faciet; nec ulla hactenus apparuit  
causa, quæ statum systematis totius vascularis plethoricum  
induxerit.

Si quæratur, quid fiat de sanguine qui infantis nutritioni  
inserviisset, modo in utero mansisset? responsum in prom-  
ptu est. Sanguis qui ad usum præsentem in vasis uteri di-

lata-

## I N A U G U R A L I S .

latatis reponebatur, profluvio partum excipiente, lochiisque evacuatur; omnemque accessionem futuram, vel a recenti sanguine ex alimentis confecto, vel per derivacionem a massa generali, eo magis magisque exhausta, provenire oportuit. Disjunctione, igitur, infantis a matre, dispendii ulterioris causa quidem praeciditur; nulla tamen accession nova facta est, dum chylus recens vasa intret, copia majori quam quae sufficiat ad sumptum quotidianum reparandum.



## S E C T I O S E C U N D A.

**R**ebus antecedentibus quæ lactis secretionem afficere possunt perpensis, secretionem ipsam contemplari pergiumus. In rem autem erit, liquoris lactis dicti naturam paucis prius commemorare.

Nemo nescit, lac succum esse album, tenuem, sub dulcem, acidis variisque aliis adjectis coagulabilem, quiescen-

B

do

## 10 D I S S E R T A T I O M E D I C A

do acescentem, tumque sponte con crescentem. Partes habet, 1. oleosam, quæ ad superiora secedit, *cremoremque* constituit; 2. mucosam, crassam, in *coagulo* post lactis co actionem manentem; 3. aquosam, solutione tenentem ma teriam saccharinam: hoc est *serum*. Majori copiâ lac secer nitur, quam ullus alius corporis humor, urinâ, forsan, exceptâ.

Lac chylusque magnam habent inter se similitudinem co loris, aliarumque qualitatum; adeo ut nonnulli lac merum esse chylum, sanguine haud adhuc permistum, putaverint.

An fieri possit ut liquor cum sanguine circummagatur, discre tusque ab eo maneat, dubitari possit; certum est, tamen, cibi effectus in copiam indolemque lactis citissimè patefieri.

Quoniam, vero, nulli adhuc detecti sunt canales quibus chylus a vasis lacteis rectâ ad mammae fluat, haud aliter sentiri potest, quam lac esse secretionem a sanguine, quæ, tamen, plures liquoris primarii retinet dotes, quam ulla alia.

Res est præter cæteras singularis, quâque lactis secretio ab aliis ferè omnibus differt, eam tantum temporariam es fe,

se, & quasi corpori adventitiam; omnino nunquam multis mortalibus contingentem, nec cuiquam nisi certis temporibus. Infantibus, quidem, utriusque sexûs, ad breve tempus, humor lacteus mammis fecernitur; tradunturque exempla virginum, atque etiam virorum, in quibus hic liquor aliquatenus apparuit. Sin, vero, hanc secretionem propriâ specie, secundum leges naturæ usitatas, sese monstrantem speculemur, tutò dici potest, eam ad graviditatis puerperiique conditiones unicè pertinere. Mulieribus aliquot menses gravidis mammae nonnihil tument dolentque; & deinceps paucæ lactis guttulæ e papillis exprimi possunt. Prægnantibus, autem, hæc secretio vix unquam est copiosa, nec ante tertiam circiter a partu diem specie plenâ absolutâque erumpit. Subitæ hujus mutationis causam proximam nunc indagabimus.

Jam dudum ab anatomicis patefacta est conjunctio vasorum uterina inter, mammariaque, per inosculationes arteriæ epigastricæ cum mammariâ internâ. Hæc facilem videbatur præbere explicationem consensus istius inter uterum mammasque, variis exemplis, præcipue hoc de quo agimus, in-

dicati. Secundum hanc sententiam, simul atque uteri contractio sanguinis in sua vasa influxum priori copiâ impedit, portio ejus, per arteriam epigastricam (quæ ipsa cum spermaticâ coit) refusa, inde ad mammariam pervehitur, sicque ad mammas. Hac ratione, plethoræ translatio quædam ab utero ad mammam efficitur, sine interventu systematis vascularis universi. Huic argumentationi, ut videtur, probabili, potissimum objicitur, inosculationes prædictas haud sat magnas esse ut darent effectus eis attributos (\*). Illust. **HALLERUS**, a quo hoc objectatur, ostendere pergit, hanc opinionem de translatione sanguinis directâ ab utero ad mammas, omnino non esse necessariam; lactis enim secretionem posse explicari ex lege naturæ generali, quâ, uno humorum exitu intercluso, solita evacuatio ad aliam partem derivatur, unde similis humor effluat. Lac ipsum, docet, a mammis repulsum, variis aliis viis egressum e corpore invenire; uteri succum nativum, album esse liquorem

(\*) Exiguæ sunt inter epigastricas & mammarias, quas toties vidimus, inosculationes; iisque, cum nihil habent ab universi corporis fabricâ diversum, non debet proprium officium imponi. *Elem. Phys.*

rem lacti haud dissimilem; concludit, ergo, lac de suis canalibus aversum, in uterum naturaliter converti; (\*) ideoque, alterna vice, humorem ab utero in mammas facile transferri (†).

Obvium est ad hæc annotare, uterum non esse organum propriè secretorium, licet in utero virgineo succus lacteus reperiatur; nec, tempore graviditatis, alium in eo humorum plerumque deprehendi, quam sanguinem; quo, utique, non lacte, alitur fetus. Et quidem, HALLERUS fatetur, structuræ similitudinem uterum inter mammaque, non manifestam esse, sed a phænomenis præcipue deducendam (§).

Porro, si verum sit, quod probare conati sumus, nempe,

(\*) Cum inter uteri succum & lac non obscura sit similitudo, plerumque in uterum, tanquam in colum suo colo analogum, lac convertitur. *Elem. Phys.*

(†) Viciissim ab utero humor in vasa mammæ suorum non diffinitia refluit. *Ib.*

(§) Quam quidem similitudinem in minimis esse, neque visibilibus vasculis, fateor utique, neque nisi ex phænomenis de ea constare, quæ modo recensuimus, tum ex communi utero cum mammis proprietate, dilatabili nempe natura. *Ib.*

## 14 D I S S E R T A T I O M E D I C A

pe, nullam esse humorum redundantiam post partum, sanguinemque, qui uteri amplificati causa extiterat, evacuari, non repelli, HALLERI argumentum, et si pro verissimo habeatur, rationem reddere non poterit primæ lactis secretionis; quippe adhuc desiderabitur causa insolitæ humorum ad mammae derivationis, hoc præsertim tempore.

Nobis igitur necesse videtur, ad conjunctionem vasorum mammariorum cum uterinis recurrere, ad explicationem hujus phænomeni; nec, puto, ullum est in hac opinione dubium, cui non satis probabiliter responderi possit.

Horum vasorum inosculationes numerosæ (\*) sunt, et si rami conjungentes sint parvi; at variis constat exemplis, copiam sanguinis satis magnam circulari posse per ramos valdè minutos, truncis majoribus occlusis. Hoc fieri videmus post curationem aneurismatis spurii in membro; ubi, arteriâ præcipuâ ligatâ, rami, antea ferè inconspicui, tantopere dilatantur, ut magnitudinem truncorum assequantur (†). Quanquam vero arteria epigastrica ute-

(\*) *Anatomie de Winslow*, Sect. IV. 99 & 234.  
 (†) *Whites Cases in Surgery*, p. 139.

rum per se non pertingat, ejus, tamen, ramus, arteria  
spermatica ramo ab utero veniente, in puerperis, HAL-  
LERO ipso notante, (\*) permagno, inosculatur. Jam  
effectus contractionis uteri post partum haud absimilis erunt  
eis, qui membra amputationem sequuntur, postquam arte-  
riæ omnes ligatae sunt. Sanguis adhuc aliquamdiu consueto  
fertur cursu per arteriarum superiora, versus fines earum  
clausos. Solitum ibi exitum non reperiens, retroagitur;  
eodem tempore, ~~ius~~<sup>ur</sup> propellens<sup>te</sup> agere perstant<sup>te</sup>, arteriæ ma-  
gis magisque implentur, inclususque liquor undique effugi-  
um quærerit. In hoc rerum statu, ramus quisque lateralis  
dilatatur, & sanguis copiâ solitò longè majori in eum im-  
pellitur, vi tantâ, ut extremos possit penetrare ramulos,  
perque singulas cum ramis vicinis inosculationes iter fa-  
cere.

Hoc modo, ut opinor, sanguinis redundantis vis mag-  
na mammis paulò post partum ingeritur. Hujus effectus  
est

(\*) Ejus præcipuus surculus redit in abdomen, & ligamentum te-  
res serpentinus percurrit, similius ramo arteriæ spermatica ab utero  
veniente inosculatur, qui in puerperis per amplius est. *Elem. Phys.*

## 16 D I S S E R T A T I O M E D I C A

est reseratio canalium lactiferorum ab arteriis nascentium, quorum operâ lac elaboratur: hac perfectâ, & secretione semel constitutâ, lactis fluxus per tempus indefinitum stimulo ac pressurâ suctûs continuatur.

Plura exphænomenis lactis secretionem comitantibus cum hac theoriâ optimè convenient, nec facilè ab ullâ aliâ solvi possunt. Sic, liquoris serosi vel lactei in mammis gravidarum præsentia, non potest deduci a plethorâ universali mensium suppressionem excipiente; quoniam non nisi a quarto graviditatis mense, cum jam vanescere incepit hæc plethora, reperitur; duratque usque ad finem gestationis, dum viget status corporis contrarius. Sed si ponere liceat, arteriarum uteri dilatationem expletionemque augescentem ab omnibus vasis communicantibus participari, causam facilè perspiciemus, cur plethora aliqua vasorum mammariorum, plethoram uterinorum comitetur, etiam dum sanguinis utero ingestî pars magna a fœtu imbibitur. Item, cum post partum lochiorum fluxus admodum minuatur, & mammæ plenæ tumidæque evaserint, semper ferè præter opinionem sit, ut lactis eruptionem

re-

renovatas fluxus uterinus, & iterati dolores partum sequentes, comitentur. Hujus rei quæ tam probabilis detur explicatio, quam quod, vasis mammariis nunc perfectè distentis, nec majoris sanguinis copiæ donec lactis per papillas libera excretio canales lactiferos depleverit, capacibus, refluit per inosculationes supra memoratas sanguis, denuque uterus inundat, atque per ora adhuc patula in ejus cavum elabitur? Hæc aliaque reciprocationis singularis exempla inter uteri mammarumque vasa, HALLERUM hoc modo concludere cogebant. “ Ex his omnibus phœnomenis videtur sequi, sanguinem facillimè & peculiare riter, ab utero repulsum, ad mammas converti, & in iis plerumque quidem uberiorem lactis proventum facere, aliquando tamen naturâ suâ conservatâ per lactis vias emanare (\*).” Nunc, hoc genus translationis peculiarem suam habere causam necesse est. Illam ab hoc autore propositam, similitudinem, nempe, organorum, nec parem esse nec probabilem jam observavimus. Cur,

igi-

(\*) Element. Phys.

igitur, aliam rejiceremus, certè verisimilem, anatomiāque confirmatam?

Sat est ad usum theoriæ medicæ, rationem reddidisse influxūs copiæ sanguinis insolitæ in arterias mammarias, sine conatu explicandi modum quo lactis secretio proximè efficitur. Id a sanguine separari nemini dubitatum est; & quamvis canarium lactiferorum origo nondum ad arterias prosecuta sit, ex analogiâ, tamen, œconomiæ animalis universæ, illos ab his nasci verisimillimum est. Istorum canarium ductus, & in papillas exitus, cum suctūs naturâ atque effectibus, satis sunt cogniti.

### S E C T I O T E R T I A.

**D**e morbis lactis secretionem comitantibus ac sequentibus, nunc differendum est. Horum duo sunt fontes; lactis, nempe, in mammae ingressus, atque ejusdem a mammae recessus.

I. Quacunque de causâ aucta vis sanguinis vasis mam-

ma-

mariis post partum ingeritur, ejus effectus erunt, horum vasorum dilatatio, totius glandulæ distentio, canaliumque lactiferorum referatio. Cum, vero, mammæ eximiâ gaudent sensilitate, harum actionum dolorem irritationemque affeclas esse necesse est; a quibus, ob statum irritabilem systematis nervosæ in puerperis, fieri non potest quin febris aliqua excitetur. Constanter, ideo, reperitur, simul ac tumor mammarum fit manifestus, symptomata quædam febria oriri, quorum modus est pro ratione doloris & tumoris. Febris, ergo, lactea dicta, est symptomatica, affectione nervorum dolorem movente nata; conferrique potest febri suppuratoriæ, quæ, similiter, ortum debet conamini naturæ ad viam novo liquori exeundi patefaciendam. His utrisque febrium generibus suus est certus naturâ terminus. Hic, in lactea, vel liquoris secreti liber est effluxus per canales proprios in papillâ, vel mammarum subsidentia a recessu fluidorum suorum contentorum. Utroque modo febris vere lactea perinde tollitur; hic, autem, prout naturæ minus congruens, in suspicionem noxæ adduci potest, quod posthac expendemus.

Morbus suâ naturâ & inevitabilis & temporarius, artis auxilium plerumque nec sentit nec poscit. Aliquando, tamen, vel ob immodicam mammarnm distentionem, vel foraminum excretiorum oppilationem, lac suctu non sat liberè effluit ad glandulas exonerandas. In hoc rerum statu, dolor febrisque manent & ingraueſcunt; tumor augetur, duricieque fit lapidea; atque post seriem malorum gravium & atrocium, magni mammarum abceſſus ſæpe naſcuntur, quibus tandem ſolvitur morbus. Quare hic exitus adeo fit frequens cauſa eſt, tractandi ratio, a naturâ, ut videretur, dictata, quam, tamen, experientia valde noxiā eſſe compērit. Cum, enim, totus morbus a defectu liberi lactis e papillis effluxus oriri judicaretur, ſuctus validus, non modo infantis, ſed adulorum, quoque adhibitus eſt ad obſtructionem reſerandam. Hoc, plerumque, magnus excitatur dolor, ſanguinis ad partem fluxus incitat, hinc excretionis diſcultas augetur, fundamentumque ponitur omnium malorum jam ſignificatorum. Contra, ſi nullo modo lac vi educere tentetur, ſed res omnis naturae arbitrio permittatur, ſolum adjutæ diætâ accuratè antiphlogiſticâ,

lenique mammarum frictione, tumor brevi subsidet, dolor atque inflammatio evanescent, canalesque excretorii liberi evadent. Nunc & tutò & utiliter suctus adhiberi potest; quoniam, si nimis dui intermittatur, periculum est, ne lactis secretio hac vice tota amittatur.

Hac curandi ratione, maturè inchoatâ, constanterque servatâ, mammarum abcessibus in puerperis ferè certò occurritur (\*). Nec tantum primo lactis post partum accessu, symptomata antedicta obvenire solent: quovis lactandi tempore, suscepitum frigus, aliave causa fortuita, lactis excretioni moram facient, quod eandem postulat curationem.

II. Morbos varios a *recessu* lactis originem ducere, sive casu, sive consultò hoc efficiatur, ab omnibus ferè scriptoribus existimatur. Hanc propositam morborum causam primum argumentis expendemus, dein experientiam consulemus ad rem dijudicandam.

Jam-

(\*) Vide *Cruikwell's Advice to Lying-in Women on the custom of drawing the Breasts*, 1779.

Jampridem corporis statum cum primum lac secernitur explicare conati sumus, & causam proximam indolemque hujus secretionis exponere. Constat videbatur, lac purum esse liquorem, a sanguine separatum, ope glandularum, quibus plethora inducitur mutatione distributionis humorum partum excipiente. Cum, vero, sistema vasculare in universum ita abest a statu plethorico post partum, ut, contra, varias passum sit exinanitiones, parum periculi est ne post subsidentiam mammarum humore reforpto nimis oneretur. Si, equidem, hæc subsidentia valde sit repentina, fieri potest, ut æquabilis humorum per corporis vasa omnia distributio non nisi post aliquam moram conficiatur; unde perturbatio quædam nascatur, nec vehementis, tamen, nec diutina. Morbi graviores & diuturniores qui lactis recessionem excipere creduntur, qualitati potius quam quantitati humoris refluentis tribuendi sunt.

Variis constat experimentis, liquorem lenissimum, vasis sanguiferis vivi animalis injectum, maximos excitare tumultus. Horum causa videtur esse, partim, diversitas aliqua temperiei, haud vitanda, inter liquorem injectum,

fan-

sanguinemque circulantem; partim liquoris natura, a sanguine vel aliena, vel facilem cum eo misturam respuens. Chylus ipse meare dicitur in vasis haud brevi tempore a sanguine discretus; cui algor & febricula cibi largiorem sumptionem fere secuti, ex parte imputantur. Quisque secretus liquor, si in sanguinem resorbeatur, morbos ex hac causâ creare potest; etsi, enim, elementa ejus, ut pote a sanguine derivata, ab eo prorsus aliena esse nequeant, proportiones, tamen, ita variari possunt, tantæque mutationes a stagnatione vel fermentatione proveniant, ut iterata ejus cum sanguine conjunctio difficilis, vel etiam impossibilis reddatur.

Omnium, vero, humorum secretorum, lac facilimè, minimoque tumultu cum sanguine remisceri posse videtur. Promptâ ejus & copiosâ a sanguine separatione, indicatur continere pleraque ex elementis liquoris primarii, paulum mutata; ejusque cum chylo similitudo hanc opinionem maximè confirmat. Suâ tenuitate idoneum fit ad facile permeandum minutissimos canales; suâque lenitate parum est aptum ad irritandum. Hæ autem, objici potest, do-

tes

tes sunt lactis adhuc novi & recentis; quæ multum mutari & corrumpi possent stagnatione intra mammam. Verum est, utique, lac primum, seu colostrum, qualitates ostendere proprias, quæ ad hanc causam, vel ad attritum caloremque inusitatum quibus dum referantur canales lactiferi obnoxium est, referri possunt. Tenuerit, acre & purgans; ideoque, resorptum, peculiariter noxium fore, non sine causâ judicaretur. Hujus autem, pars plurima, vel cum haud adhibetur suctus, per papillas sponte manat; parumque ejus in mammis cum subsidere incipient restare probabile est.

Scriptores illi qui tot puerarum morbos lactis receffuerunt, noxam præcipuam indoli hujus liquoris coagulabili imputant. Arbitrari videntur, quod postquam subitâ translatione lac in aliquam partem depositum fuerit, ibi stagnabit, materies coactioni apta ab aliis elementis discedet, & obstructiones omnesque earum effectus morbiferos gignet. Sed imprimis, talis puri lactis per vasā, sanguine non admixto, circumlati translatio, res est haudquaquam eredibilis. Deinde etiam si seorsum a sanguine aliquamdui

maneret tam est expers acrimoniae, ut vix sufficeret ad excitandum naturae conamen ei e vasis ejiciendo necessarium. Porro, ex observatis accuratioribus certum est, species eas in incisis puerarum cadaveribus vias, quae materie coagulabili effusi lactis natæ creditæ sunt, nihil esse aliud, quam exudationes lymphaticas in facie membranarum inflammatarum vulgo deprehensas.

Denique, re ratione expensa, concludere liceat, lac a mammis refluens vim habere excitandi tumultum in syste-  
mate vasculari, non tam propter molem suam quam quia humor est a sanguine diversus: hunc fore graviorem, si lac aliquâ causâ acrimoniam contraxerit: eum, vero, tantum fore ad breve tempus, quoniam lac cum sanguine est ho-  
mogeneus, ideoque cum eo commisceri facile potest;  
quare, etiam, lactis deposita, propriâ sub specie, coa-  
gulationique obnoxia, non sunt expectanda.

Hæc mirè confirmant observata. Mos nunc usitatus,  
mammis post partum tumefactis sponte subsidere permitten-  
di, sine ulla lactis evacuatione, plenissimam dedit occasio-  
nem notandi effectus, qui a resorptione hujus humoris pro-

veniant. Horum series ferè hujusmodi est. Post febrem lacteam, plus minusve gravem pro ratione tumoris dolorisque mammarum, ad quartum diem lac recedere incipit, mammæ detumescent, dolor febrisque evanescunt. Hæc symptomatum levatio multum promovetur, si hoc tempore alvus vel sponte, vel arte solvatur. Et hic annotare liceat, gravissima post partum symptomata, febrem puerperalem periculosissimam minitantia, saepe exemplò tolli, dato emetico aut cathartico, vel, quod satius est, utroque simul. Hoc consilio, exhibere soleo tartarum emeticum, infuso senæ simplici solutum, cui adjicitur succus Limoniorum, tinturaque Jalapii. Hoc primâ dosi plerumque vomitum elicit; repetitâ, alvum movet; semperque ferè optatum habuit successum.

Lacte recedente, & in sanguinem refusâ, saepius nulla sequitur commotio manifesta, sed ad sanitatem deinceps sine morâ pervenitur. Nonnunquam, tamen, febricula recrudescit, cum horrore levi, & languore. Hæc, leni diarrhœa, aliâve crisi innoxia citò solvit, nec pejor exitus timendus est. Nunquam contigit mihi, inter tot

ægras

ægras, quibus in auxilium vocatus fui, videre ulla' exempla morborum a depositionibus lacteis, ut putatur, originem ducentium, præter tumorem illum unius membrorum inferiorum, a scriptoribus Gallicis *Depot laiteux aux Aines & aux Cuisses* dictum. De hoc effectu disceptatur in numero tractatu (\*) Celeb. Chirurgi CAROLI WHITE, qui variis exemplis allatis probat eum lactantibus & non lactantibus promiscuè accidere, nec ex aliquo peculiari mammarum aut lactis conditione ullo modo pendere. Clarè demonstrat, hunc morbum ab obstructione glandularum lymphaticarum ad membra laborantis partem superiorem ori; cuius causam ingeniosè investigat auctor, verum non est nostri argumenti.

Postremò, quamvis multis de causis sit haud dubiè melius, mulieres naturæ præcepta sequi, infantibusque suis ubera admovere, modò habitu corporis sint satis valido ut id sine injuriâ sustineant; tamen haud dubitaverim affirmare,


(\*) *An Inquiry into the Nature & Cause of that Swelling in one or both of the lower Extremities which sometimes happens to lying-in Women.* &c. 8vo. 1784.

re, eas plerumque citius faciliusque ab *ipso puerperio* convalescere, quæ ratione supra memorata lac abire sinunt. Unde constat, lactis secretionem infantis gratiâ, haud matris, constitutam esse; eamque nullo modo fluxum esse depuratorium, corpus fœmininum post partum a redundantibus aut vitiatis humoribus exonerando necessarium, quod aliqui existimaverunt.

Conclusionis loco, res præcipuas quas hoc tractatulo stabilire conati sumus summatim repetere libet. Hæ sunt; nullam plethoræ universalis causam a corporis mutationibus partum excipientibus deduci posse: — lactis secretionem, ergo, plethoræ vasorum mammariorum, derivatione ab utero natæ, tantum tribuendam: — febrem lacteam irritationi locali solum deberi; & cum mammæ inflammatoriè tumeant, porique excretorii obturentur, conamen eos valido suctu referandi, nocivum esse: — lactis recessum nullam vel levem tantum temporariamque commotionem plerumque comitari; lactisque resorpti depositiones, propria sub specie, rarissimè aut nunquam accidere.

T A N T U M.

LEFT



24ColorCard CameraTrax.com